

tuentes, ut *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes* (πρεσβεΐα τῆς τιμῆς) *post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma*: quanquam, cum in Nicæno alius Patriarcharum ordo fuerit decretus, illa et sequenti ætate nullam hujus motivi et canonis rationem habitam fuisse aliunde constet.

174. Superest itaque, ut Primatum Romanum *jure Divino* institutum dicamus. Quod nisi foret, haud facile intelligi posset, cur supremus Pontificatus Romanæ sedi manserit hucusque conjunctus; quantumvis acerrimæ primorum seculorum persecutiones migrationem exposcere, Imperii sub Constantino Byzantium translatio transportationem prædicere, et septuagenaria Pontificum in urbe Avenionensi commoratio commutationem imperare videretur. Ex quo facto etiam patet privilegium, quod Petro fuerat personale, evasisse dein locale; ita tamen ut si Romam perire penitus contingeret, quod a Deo permissum iri non adeo credibile est, qui jure Romanus esset Pontifex et Petri successor, hac prærogativa frueretur.

ARTICULUS III.

An Romanus Pontifex sit supra Concilium.

175. *Nota.* Quæstio hæc, ob cœptum inclinante Seculo 14 schisma Pontificum, sub initium seculi sequentis a Conciliis Pisano, Constantiensi et Basiliensi primum in controversiam adducta, movetur: 1º. de Papa certo, legitimo et fidei; quia si vel dubius foret ob schisma oppositum aut notabilem acceptionis universalis defectum, vel illegitimus ob notum electionis vitium, vel prolapsus in publicam hæresin, Pontifex verus non est, aut (quod in jure æquivalet) non apparet; et hinc qualicumque prærogativa, illi alias competente, caret aut saltem non gaudet: 2º. de Concilio Generali seorsim accepto a Papa, seu cui Pontifex nec per se nec per legatos conjungitur; quia sine hujusmodi acceptione comparatio opposita non tenet, aut totum cum parte tantum confertur, quin causa tandem decidatur: 3º. De superioritate quidem jurisdictionali, non tamen dogmatica; quia quid Concilium sine Pontifice in definitionibus fidei et morum valeat, jam diximus: an vero Pontifex in his sit infallibilis, adhuc examinabimus. Quamvis vero sub auctoritate judiciaria etiam jus appellationum comprehendatur; de hoc tamen speciatim ob causæ singularitatem postea dicturi sumus.

Neque hic attendimus partem magnam negantium, quæ heterodoxorum est; quoniam quo nituntur fundamentum, primatum Ecclesiæ summo Pontifici detrahens, eumque particularis duntaxat Ecclesiæ suæ Episcopum faciens, nuper jam convulsum est: Catholicorum autem negantium ita rationem habebimus, ut duplex eorum momentum præcipuum prævia propositione refutandum suscipiamus. Cum vero præsens sequensque controversia, fide adhuc salva, in utramque partem disputetur; ita ubique versabimur, ut adversæ nobis sententiæ notam nullam impingamus, nisi quantum argumentandi causa apud Theologos licet et consuevit.

176. *Dico. I.* Concilium generale, seorsim a Papa sumptum, non habet potestatem summam, neque judiciariam in summum Pontificem.

Prob. 1ª. p. Summa potestas non convenit hujusmodi Concilio: 1º. ratione *auctoritatis Episcopalis*, qua congregati pollent; quia Episcopalis jurisdictio ex collatione est determinata ad certos subditos, ex usu et reservatione est restricta ad fixos limites, ex hierarchica indole est subordinata et dependens a superiore: 2º. nec ratione *collectionis et totalitatis*, qua Concilium hoc aggregatum ac totum est; quia ex hac habitudine ejusmodi cœtui convenit quidem plus extensive et amplius, non autem plus intensive seu majus; ex Dei autem collatione plus aliquid concessum esse non legimus, sed contrarium potius, cum ut obediant et subjaceant pastoribus suis imperatum fidelibus legatur: 3º. nec ratione *representationis*, qua Concilium istud Ecclesiam refert; quia Ecclesia correspondens potestatem summam non habet a se ipsa, ob discrimen inter ipsam a Christo constitutam et Rempublicam ab hominibus libere coeuntibus conditam manifestum; nec a Christo, singularibus duntaxat non autem universitati potestatem elargito. Ergo.

Conf. I. Ecclesiæ regimen juxta artic. 1. est perfecte monarchicum: foret autem aristocraticum, si penes Concilium; aut foret democraticum, si penes totam Ecclesiam seu communitatem fidelium esset summa potestas; ut ex notione terminorum liquet. Ergo.

Conf. II. Ex dicendis in Tr. de Legibus contra Richerii systema, Christus, nullo hujus Auctoris sensu, prius immediatius atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedit Ecclesiæ: Ergo potestas summa nullo Adversariorum sensu potest esse in Ecclesia, seorsim a capite accepta; Nempe nec 1º *formaliter* et ut in recipiente; quia neque Christus instituens sub initium, neque aliquis a Christo institutus postmodum eandem Ecclesiæ dedit: nec 2º *virtualiter* et ut in regulante; quia regitur, et non regit Ecclesia Dei, ac Corpus a capite, non vicissim, dirigitur: nec 3º *vicarie* et ut in supplente; quia Papa per mortem naturalem aut civilem deficiente, Ecclesia duntaxat personam elegit, Christus autem potestatem tribuit; neque facultatem supplet grex pro pastore et familia pro œconomio, ubi ovium aut servorum dominus curam suæ possessionis tenet. Ergo multo minus Concilium, secluso Pontifice, summam tenet auctoritatem, quam Ecclesia representata non habet; nec personalis dignitas sive Episcopalis sive Metropolitana sive Patriarchalis attingit et explet.

Prob. 2ª. p. 1º Pontificem a nemine judicari, docet ex antiquis decretis Nicolaus in ep. ad Michaëlem Imp. scribens: *Prima sedes a nemine judicabitur*; Item: *Neque ab Augusto, neque a Regibus, neque ab omni Clero, neque a populo judicabitur prima sedes.* Syn. sub Adriano II. C. 4. enuntians: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus: de eo vero quemquam judicasse non legimus.* Conc. Lateran. III. Can. 1. in casu delinquentis Pontificis dicit: *Non poterit ad superiorem haberi recursus.* Ivo Carnotensis ep. 233. de Paschali loquens ait: *Admonendus mihi videtur Papa, ut se judicet aut factum suum retractet: quod si fecerit, referamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum Ecclesia, quæ languet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia: si autem in hoc languore insanabiliter ægrötaverit, non est nostrum judicare de summo Pontifice.* Galliæ Episcopi ad causam Leonis III. evocati sic respondent: *Nos sedem Apostolicam judicare non audemus; nam*

ipsa a nemine judicatur, ut et antiquitus mos fuit. Ergo cum Tò Nemo tam in philosophico quam vulgari sermone *ne hominem dicat*, et hinc non singulos particulares tantum sed etiam omnes collectos, ob malignantem naturam, excludat; sequitur Pontificem nec a concilio generali judicari posse.

2º. Pontificis causas reservari et relinquendas esse solius Dei iudicio, asseritur ab Actis Syn. IV. Romanæ sub Symmacho, quæ hunc pontificem immunem ab objectis pronuntiant, *quantum ad homines respicit*, sed *totam causam Dei iudicio reservavit*; a Patribus huic Concilio hac forma subscribentibus: *huic statuto nos, in quo totam causam Deo commisimus; subscripsimus*; ab Ennodio in hujus Conc. Apologetico a Synod. Romana sub eod. confirmato: *Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare; Sedis Romanæ Præsulem suo sine questione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri successores cælo tantum debere innocentiam*; ab Avito demum in eadem causa nomine Episcoporum Gallicanorum ad Senatores Romanos scribente: *Intelligimus Symmachum Papam, si seculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius, quam recipere debuisset iudicium. Quod Synodus ipsa laudabili constitutione prospiciens, causam, quam pene temere susceperat inquirendam, divino servavit examini.* Similiter ab Innoc. III. Serm. 2. de Consecr. Papæ: *in tantum mihi fides necessaria est, ut, cum de cæteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari*; a Petro Damiani Concert. inter advoc. Reg. et def. Eccl. *Damnatio Papæ tam gravis et inexplicabilis est, ut non humano sed divino duntaxat sit tractanda iudicio*; ab Ivone Carnot. l. c. *Ubi succumbunt humana iudicia; divina est expetenda misericordia.* Ergo nec Pontificis causæ a Concilio generali judicari possunt, cum alias Deo soli suscipi hæ causæ, sed a Patribus iudicium recusantibus ad Concilium Generale remitti debuissent.

3º. Pontificem denique nec a generali Concilio judicari posse facto satis eloquenti declaravit Syn. Chalcedonensis in ep. ad Impp. et in ep. ad Leonem, Act. 3. relatis, scribens se damnasse Dioscorum propter alias et hanc præcipue causam, quia in primam sedem sententiam ferre præsumpsisset: disertis autem verbis Constantinopolitanum III, dum Act. 10. can. 21. ait: *Si synodus universalis fuerit congregata, et facta etiam fuerit de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia; oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita questione sciscitari, et solutionem accipere aut proficere et profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices*: denique ADRIANUS ibid. Act. 7. per Petrum Diaconum improbata intolerabili Photii præsumptione, qua in Rom. Pontificem iudicium instituere ausus est, exemplis docet, nec a Concilio generali id fieri licere, nisi in hæresis crimine et ubi sedes Romana ipsa concurrat vel præcedit in iudicando. Unde patet laudati Canonis (quod adversarii volunt) sensum non esse hunc duntaxat, quod a Concilii sententia in Pontificem abesse debeat irreverentia et audacia; cum in quolibet iudicio vel hoc sit observandum, vel a iudice exerceri reverentia nequeat erga subditum, quem condemnat; sed istum, quod Concilium de controversiis circa Rom. Pontificem reverenter interrogare, et de iisdem solutionem, non dare, sed accipere, et juxta id, quod responsum est, proficere, non vero contra Pontificem sententiam dicere; quia audacia est iudicare de eo, qui nullius

iudicio subest; ut ante Synodum Nicolaus scripserat, et ADRIANUS nemine contradicente in Synodo confirmarat.

Conf. Auctoritati pondus addunt rationes, quas laudati hactenus Patres afferunt: NICOLAUS quidem hanc, quia *auctoritate sedis Apostolicæ major non est*; ADRIANUS istam, quia *minoribus licitum non est resistere majoribus*; Patres Romani sub Symmacho sequentem, quia *Sedi Apostolicæ singularis in Ecclesiis convenit potestas*; Gallicani sub Leone eam, quia *caput omnium Dei Ecclesiarum est Pontifex*; Ennodius illam, quia *uni Petro dictum est, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Avitus istam, quia *si subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter cæli; non facile datur intelligi, quæ vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur. Nam cum celebri præcepto Apostolus clamet, accusationem vel in presbyterum recipi non debere; quid in principatum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Item quia non minus diligenda est in Ecclesia sedes Petri, quam in civitate apex mundi*; denique, quia *si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus, vacillare.* Sed de his nunc uberius.

177. Dico II. Pontifex non tantum supra omnes Ecclesias particulares seorsim et distributive acceptas potestatem habet, sed et supra omnes simul ac collective sumptas, seu totam et universalem Ecclesiam, quin et supra Concilium Generale.

Prob. 1º. p. 1º. Ex articulo 1 præsentis Capituli Petrus, ac consequenter Romanus Pontifex, quia est fundamentum Ecclesiæ, habet claves regni cælorum, et est pastor ovium et agnorum; ideo obtinet potestatem supra Ecclesiam: sed vi horum titularum habet potestatem supra totam et universalem Ecclesiam: quia imprimis tota et universalis Ecclesia est illa, quæ dicitur *mea* seu Christi; refert rationem ædificii in petra fundati; intelligitur per Ecclesiam simpliciter et absolute pronuntiatam: Christus etiam seorsim sumptarum et particularium nullum posuit fundamentum, sed tantum collectim sumptarum seu universalis Ecclesiæ: deinde quia eadem tota et universalis est *regnum cælorum* in parabolis maxime Matth. 13. expressum; et sicut claves regni in omnes urbes collectim sumptas, sic et claves Ecclesiæ in particulares dioceses similiter acceptas designant potestatem; demum quia agni et oves Christi omnes *unum ovile*, unum ovile autem Joann. 10. v. 16. universam Ecclesiam significat; et sicut per oves Marc. 14. v. 27. collectio discipulorum, 2. Paralip. 18. v. 16. universus Israel, et Matth. 18. v. 12. totum genus humanum, sic et Joann. 21. v. 15. tota Ecclesia intelligitur. Ergo cum interpretationes textuum horum sinistrae partim superius rejectæ sint, partim a Catholicis adversariis ad primatum Petri admissum defendendum mitigari debeant: earum nulla potest elidi potestas Petri et Pontificis in universalem Ecclesiam.

2º. Ex articulo 2, constat Pontificem esse caput, pastorem, patrem, doctorem et ducem Ecclesiæ: sed caput non solum membris seorsim sumptis, sed toti corpori præeminet; pater non singulis duntaxat prolibus, sed toti familiæ præest; pastor non ovibus solum, doctor non discipulis tantum, dux non militibus duntaxat singularibus præsidet, sed toti gregi, toti scholæ, toti exercitui: ergo Pontifex similiter non fidelibus, Episcopis aut Ecclesiis divisis duntaxat acceptis, sed omnibus simul et toti fidelium communitati,

Episcoporum collectioni et Ecclesiarum universitati, h. e. universali Ecclesiae cum potestate praest.

3^o. Ex utroque Articulo, Conc. Lugdunense II. Can. 2. Pontificem vocat *Rectorem universalis Ecclesiae*; Professio fidei Michaeli Imp. a Clemente IV. praescripta et Lugduni edita habet: *Ipsa quoque Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quam cum potestatis plenitudine ab ipso Domino in beato Petro recepit*; Florentin. in unione cum Graecis definit *Romano Pontifici, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem esse traditam*: PAULUS III. in Bulla pro translatione Conc. Tridentini A. 1546. data inquit: *Regimini universalis Ecclesiae disponente Domino praesidentes, nostri officii partes putavimus etc.* Ipsum Tridentinum Sess. 14. c. 7. ait: *Unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare*: Idem Sess. 24. de Reform. c. 1. monet: *Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universae Ecclesiae ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat.* His adde Ambrosium in Comment. in 1. Timoth. 3, Leonem ep. 84, Gregorium L. 4. ep. 32. et alios superius laudatos.

Conf. I. In professione fidei juxta decretum Conc. Tridentini agnoscunt omnes *Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarum matrem et magistram, Romanum Pontificem autem beati Petri Apostolorum principis successorem ac Jesu Christi vicarium*: sed mater et magistra, non minus ac de patre et doctore dictum est, universae familiae et scholae praesidet: praeterea sicut constat successori eandem potestatem convenire, quae penes praedecessorem fuerat, sic Petro supremam in Apostolicum Collegium juxta et in universam Ecclesiam potestatem negari non posse supra ostendimus: demum liquet et vicarium participare potestatem principali propriam, et Christum ex titulis pluribus ac indubiis sibi debitam tenuisse potestatem in omnem ac totam Ecclesiam; Unde Leo Sermon. 3. de anniv. assumpt. recte ait: *ea quae Christo potestate sunt propria, esse Petro ejus vicario cum ipso participatione communia.* Ergo.

Conf. II. Romanum Pontificem tenere primatum jurisdictionis in Ecclesia catholica, asserunt omnes Catholici: primatus hujus partes constitutivas esse inspectionem et curam universalem atque jus et facultatem ferendi leges generales, ipsa notio rei ostendit: has primatus partes conceditas et debitas esse Romano Pontifici, demonstrant producta superius argumenta. Atqui illa universalis cura et potestas legislativa generalis ex sua natura respicit et obligat totam et universalem Ecclesiam. Ergo.

Prob. 2^a. p. Constitutio LEONIS X. *Pastor aeternus* in Conc. Later. V. Sess. 11. promulgata sic habet: *« Solum Romanum Pontificem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tum Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat. »* Auctoritatem, quam huic enuntiationi vindicant editionis locus, tempus, auctor et acceptantes, corroborant argumentorum, ad quae provocatur, extantia et veritas.

Nam 1^o. Scripturae testimonia, quae Papam faciunt superiorem universae

Ecclesiae, multo magis praefereunt Concilio generali, quod illius figura tantum est ac representatio. Idem quamvis locum habet in dictis Patrum, Pontificum et Canonum; speciatim tamen de Conciliis ulterius probant.

2^o. GREGORIUS L. 9. epist. 39. ad Theoctistam scribens: *Si B. Petrus, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat, ut Pastorem suum oves reprehendere non auderent: Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, doctor mansuetudinis non fuisset: humili ergo eos ratione placavit*; et PASCHALIS II. in epist. ad Archiepisc. Poloniae loquens: *Aiunt in Conciliis statutum non inveniri: quasi Romanae Ecclesiae legem Concilia ulla praefixerint; cum omnia Concilia per Ecclesiae Romanae auctoritatem et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiatur*; quibus adde alios num. 150. recitados: Unde inter alias ab ALEXANDRO VIII. A. 1690. Aug. 24. damnatas, haec ordine 29^a est propositio: *« Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Summi supra Concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate. »*

3^o. Confitentur hanc Pontificis auctoritatem Concilia, imprimis exhibendo obedientiam; cum Ephesini Patres Act. 1. dicant, se *coactos* per Coelestini epistolam *necessario* venire ad ferendam sententiam: dein agnoscendo in Pontifice auctoritativae approbationis facultatem; secundum quod Patres Nicaeni juxta epistolam Conc. Romani sub Felice III. tribuunt Pontifici *confirmationem et auctoritatem*; Constantinopolitani III. in epist. ad Leonem ab eodem actis *firmitatem ac consonantiam* flagitant; Constantinopolitani IV. in epist. ad Adrianum praereptionibus Evangelicis gesta *solidius confirmari* petunt: praeterea supremam illi potestatem adscribendo; dum Chalcedonenses passim et Patres Constantinopolitani III. in epist. Synod. Pontificem appellant *Caput et Antistitem universalis Ecclesiae*; Martinus V. autem in Quaestionibus praescriptis jubet suspectum de haeresi interrogari: *utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?*

Conf. Potestas convocandi Concilia et convocatis praesidendi, facultas praescribendi normam et regulam definiendis in Concilio, auctoritas acta conciliaria rescindendi, vel irritandi et e contra probandi et roborandi, indicant et constituunt veram jurisdictionis superioritatem in Concilia: sed haec potestas, facultas et auctoritas, etiam respectu Conciliorum Generalium, convenit Pontificibus Romanis; tum *jure*, quia Primatus Papae apud Catholicos certus, fallibilitas Conciliorum sine Pontificis interventu celebratorum asserta superius et probata, e contrario infallibilitas Pontificis e cathedra loquentis statuenda inferius et vindicanda, hanc superioritatem fundant et exigunt: tum *facto* etiam et exercitio perpetuo, ut singulas partes percurrenti manifestum sit.

Et quidem de 1. et 3. abunde constat ex dictis praecedenti capite; cum gesta Conciliorum omnium actione generalium de Pontificis convocazione et praesidio conciliari testentur; acta aliquorum doceant, Canones 3^{um} Constantinopolitani I. et 28^{um}. Chalcedonensis a Pontifice rescissos; Concilia Ariminense ac Ephesinum sub Dioscoro in irritum missa; robur denique firmitatem et auctoritatem statutis suis a Conciliis plerisque petitam et a Pontifice impertitam fuisse.

De 2. autem probatur, universim quidem, tum ex actis Conc. genera-

lium III. IV. VII. et VIII. narrantibus, quod Patribus proposita fuerit Pontificis epistola suscipienda et subscribenda: tum ex testimoniis Theodori Studitæ et Nicolai I. Pontificis. Eorum prior in ep. orthodoxorum Episcoporum nomine ad Michaellem Balbum, congregationem pro ineunda cum Ieononachis concordia imperantem, scripta sic loquitur: *Jam vero sermonem refellendi causa cum heterodoxis conferre, Apostolico mandato repugnat minimeque convenit, nisi ad corruptionem tantummodo: propterea ne hiscere quidem contra præceptum audemus. Quodsi quid est hujusmodi, de quo ambigat aut dissidat Magnificentiæ vestra posse a Patriarcha dissolvi, jubeat magna ipsius manus ad communem utilitatem a veteri Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos fuit: posterior autem in ep. 10. ad Basilium Imp. sic scribit: *Hæc sunt, quæ de his Sedes Apostolica statuit: hæc sunt, quæ vos tanto studiosius oportet amplecti, tanto sollicitius observare, quanto certius nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc universalem semper Ecclesiam tenuisse; ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior hæc secundum primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit: et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit, et quæ illa refutavit, ista refutaverit.**

Speciatim etiam de NICÆNO et CONSTANTINOPOLITANO I. colligitur tum ex ep. Athanasij ad Solitarios, tum ex litteris Damasi ad Paulinum Antiochen. apud Theodoretum et synodo Rom. A. 379. celebrata; quorum ille testatur Sylvestrum per Osium damnasse Arium jam ante Syn. Nicænam: hæc autem ostendunt a Damaso prædamnatos fuisse Apollinarem et Macedonium, antequam cum hæreticis connumeratos a Romanis Patribus, quam Conc. Constantinopolitanum celebraretur. Porro luculentius demonstratur de Orientalibus reliquis.

De EPHESINO quidem Gennad. L. de Scrip. Eccles. c. 54. narrat Cœlestinum decreta Synodi contra Nestorium dictasse, volumine ad Orientem et Occidentem præmisso; Patres ipsius Synodi I. s. c. fatentur, se litteris Pontificis cogi ad damnandum Nestorium; Xystus Cœlestini successor ad Joannem Antioch. scribens ita inquit: *Expertus es negotii præsentis eventu, quid sit sentire nobiscum; B. Petrus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister educit?*

Nec minus de CHALCEDONENSI patet, tum ex ep. Leonis ad Concilium ita scribentis: *Unde rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, varia errantium infidelitas conquiescat: non liceat defendi, quod non licet credi; cum plenissime per litteras, quas ad Flavianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis pia et sincera confessio: tum ex Judicibus conciliaribus, post similem Legatorum adhortationem, ita Patres urgentibus: Ergo addite definitioni secundum judicium Leonis duas esse in Christo naturas.*

Quin etiam de CONSTANTINOPOLITANO II. Acta docent, laborasse Patres, ut persuaderent omnia a se fieri ac decerni secundum Vigilli sententiam, ideoque Collat. 1. professi sunt, epistolas Rom. Pontificis ad dogma pertinentes æquali veneratione ac sacra Evangelia suscipi.

De CONSTANTINOPOLITANO III. testantur litteræ Agathonis ad Synod. et Imp.

scriptæ in hæc verba: *Personas prævidimus ad vos dirigere, quæ nostram suggestionem, in qua Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre etc.* Item Patres in ep. ad Pontificem: *Litteras a vestra Beatitudine ut a Summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper hæreticam sectam depulimus.*

Præterea de NICÆNO II. comprobant litteræ Adriani ad Imp. et Tarasium, quæ decernunt, post Summorum Pontificum definitiones non amplius esse locum dubitandi de cultu imaginum, vetantque ipsam synodum transire limites ab illis fixos; et Patres similiter subscribentes, *secundum synodicas beatissimi Papæ Senioris Romæ Adriani epistolas, sacras a se imagines suscipi.*

Tandem de CONSTANTINOPOLITANO IV. et litteræ Adriani ac Nicolai et Actiones pleræque testimonium ferunt, ex quibus sufficiat formula veniæ respicientibus datæ: *Suscipimus vos secundum præceptionem Papæ nostri Adriani propter libellum penitentiae: verba itidem Legatorum Photianis ingressum primo prohibentium: Nobis non licet rescindere judicium sanctorum Rom. Pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutionibus; tum autem sub conditione permittentium: Ingrediantur; sed non propter contentionem advocamus eos; sed ut tantum beatissimi Papæ Nicolai epistolam audiant.*

178. *Objic. I.* Convocationem et præsidium Conciliorum non tribuere Pontifici superioritatem, sed facere tantum primum inter pares, aut eminentem super singulos, sicut Decano respectu Capituli accidit.

R. Quod convocatio et præsidium sit de necessitate, ita ut sine illis Concilium sit nullum; ut docent monumenta num. 140. et 142. allata: quod Primatus Pontificis non sit honoris tantum et ordinis, sed potestatis et jurisdictionis: quod auctoritas ejus non emineat singulis dumtaxat sed universæ Ecclesiæ; ut nuper ostensum est.

Inst. 1. Canones fuisse invalidos et synodos irritas non tam propter rescissionem Pontificis, quam tum ob repugnantiam sive cum Nicænis canonibus sive cum regulis fidei antiquis, tum ob defectum universitatis in his Conciliis, et Occidentis dissensum.

R. 1º Quod ergo Concilia, sine assentiente aut dissentiente Pontifice, errare possint, atque hinc superiore egeant, a quo reformentur: 2º. quod ad universitatem requiratur auctoritas Pontificis; cum Ephesino Conciliabulo et Synodo Chalcedonensi adfuerint Legati Occidentis, et cum Ariminensi in Occidente conspiraret Seleuciense in Oriente: 3º. quod Pontificio dissensui tribuendæ sint partes præcipuæ; cum de Chalcedonensi Canone, qui æqualis alias auctoritatis erat cum Nicæno contrario, id ostendat ipse Anatolius, tum Episcopus Constantinopolitanus, in ep. ad LEONEM, qua se excusans culpam hanc in Clerum transfert et sic emollit: *Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestre Beatitudinis fuerit reservata; de Ariminensi DAMASUS in ep. ad Orientales: Numerus Episcoporum, qui Arimini congregati fuerant, præjudicii vim habere non debet, quandoquidem factum illud est non consentiente Romanorum Episcopo, cujus ante alios oportebat expectare sententiam; de Ephesino latrocínio GELASIVS ep. 13. ad Epp. Dardaniæ: Diosco-*

rum secundæ sedis Præsulem sua auctoritate damnavit Sedes Apostolica, et impiam Synodum non consentiendo submovit.

Inst. 2. Confirmationem petitam et datam fuisse tantum honorariam, ac simplicis consensus et adhæisionis, non auctoritativam autem, et quæ valorem tribueret; adeoque nec ex irritatione nec ex confirmatione hujusmodi colligi Pontificis superioritatem.

R. Quod honorarium non sit, quod Arelatenses ad Sylvestrum et Sardicenses ad JULIUM dicunt *optimum et congruentissimum*; Ephesini autem act. 3. *necessarium*: quod mera adhæsiō non interveniat, ubi præter confirmationem auctoritas Romane Sedis postulatur, ut de Nicænis Syn. Romana sub FELICE III. testatur; aut ubi *Sedes Apostolica consentit et B. Petri auctoritate confirmat*, ut LEO in ep. ad Synod. sextam scribit: quod confirmatio Pontificia sit auctoritativa et valorem tribuat; cum sine *missis a Pontifice ad Ecclesias litteris*, non recipi Concilia declaret in ep. Apologetica ADRIANUS; Synodos autem egere Romana sede, ut firmentur et custodiantur, ep. 8. de Leone ostendat Nicolaus.

Inst. 3. Quod etiam Athanasius, Nazianzenus, Cyrillus Alex., Joannes Antiochenus et Proclus scripserint epistolas dogmatis præformatrices, sine auctoritatis tamen hinc colligendæ sequela.

R. Quod multiplex discrimen sit inter Patrum in Synodi sextæ Prosphætico laudatorum et Pontificum Damasi ac Leonis litteras dogmatis prænuntias. Illi enim ad singulares solum, Athanasius scilicet ad Epictetum, Greg. Nazianzenus ad Cleodionem, Joannes ad Proclum, Proclus ad unos Armenos scribebant; Leo autem ad universos, Damasus ad unum quidem Paulinum Antiochenum, sed Orientis totius sollicitatione provocatus, litteras inscripserant: in prioribus attendebatur sola doctrina et sanctitas; in posterioribus sedis auctoritas: a primis fiebat propriæ quasi fidei professio et aliorum duntaxat adhortatio; a postremis definebatur dogma, imperabatur assensus, et sub interminatione rumpendæ communionis obsequium urgebatur: cum quibus si quid commune in scribendo habuit Cyrillus Alexandrinus, auctoritati Pontificiæ id debebat, cujus vices tum in Oriente gesserat.

Inst. 4. Quod Chalcedonenses maxime Patres subscripserint Leonis litteris, ob earum cum Synodis prioribus consonantiam.

R. Quod subscriptionis ratio, ex consonantia epistolæ LEONIS cum prioribus synodis deducta, nec excludat aliam, nec una in Actis afferatur; nec forsan sola sufficiat, aut tota credulitas in tribus primis Conciliis exhauriri debeat.

Inst. 5. Quod idem respectu Cœlestini fecerint Ephesini ob assensum Occidentalium, quorum Legati cum missis Pontificiis plerumque in Conciliis Orientalibus aderant: ut adeo subscriptionis ratio non referatur ad Pontificis auctoritatem.

R. 1º. Quod ipse Occidens a Romano Pontifice universim fuerit pendulus; ideoque qualiscumque ex Occidentis consensu desumpta ratio in Pontificiam auctoritatem resolvatur: 2º. quod missi nomine Occidentalium Legati plerique a Romana Synodo instruebantur; cujus auctor et dux perpetuus erat summus Pontifex: 3º. quod discordiarum in Oriente ortarum pugnæ et compositiones partim Occidentalibus non fuerint cognitæ, partim post rem peractam, et quidem interprete Romano Pontifice, primum communicatæ,

atque hinc ab Occidentis sententia motivum decidendi nequiverit Orienti advenire.

Prioris vestigium quoddam est vel in ipso Conc. NICÆNO I. cujus canones et acta etiam post alterum seculum apud Occiduos, maxime Afros, nec extabant nec innotuerant; documentum autem luculentius habetur de NICÆNO II. de quo Francofordienses Patres vel nihil vel parum rescivisse historia docet: præbet Canon 1. Conc. Aurelianensis V. ita pronuntians: *Eutychetis et Nestorii sectas, quas Sedes Apostolica condemnat, similiter et nos easdem cum suis auctoribus et sectatoribus execramur*: Avitus in ep. ad Hormisdam sic loquens: *Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jam dudum per Predecessores sanctæ Sedis vestræ calcavit auctoritas, ad notitiam nostram Apostolicæ diligentie provisione perlata est*; Idatius denique in Chronico inquires: *De Galliis epistola deferuntur Flaviani Episcopi ad Leonem missæ, cum scriptis Cyrilli Alexandrini ad Nestorium de Eutychete Ebionita hæretico, et Leonis ad eundem responsa, quæ cum aliorum Episcoporum gestis et scriptis per Ecclesias diriguntur*. Ex quibus patet invalidam esse Excipientium postremam collectionem.

Objic. II. Scriptura tribuit Concilio generali supremum et infallibile iudicium: 1º. ex Matth. 18. v. 15. et seqq. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos: si eos non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*: nomine autem fratris venit etiam Pontifex, qui hoc nomine sæpe compellatus est ab Episcopis, et est *filius Ecclesiæ*; potestque peccare, quoniam et ipse *circumdatus infirmitate*: nomine autem *Ecclesiæ* indicatur Conc. generale, utpote illius representativum: 2º. ex eod. v. 18. habetur: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*: his verbis autem textui de Ecclesia annexis, docetur potestatem in quemcumque peccatorem Apostolis saltem simul sumptis competere.

R. ad Arg. N. Assert. Quod in plerisque non tangit quæstionis statum, tribuens Ecclesiæ seorsim sumptæ a Pontifice, quod tantum eidem cum illo conjunctæ convenit.

Ad prob. 1. R. 1º. Fratris nomen subin usurpatum nihil detrahare auctoritati Pontificis, ostendit Christi exemplum, Apostolos etiam fratres compellantis; nec alteram *fili* vocem officere, docet Pius II. in Bulla retract. A. 1463. data dicens: *Etsi Ecclesiæ filius sit Pontifex propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur: et sicut filiationis causa debet ipse Ecclesiam venerari tanquam matrem, ita prælationis causa præfertur ei, ut pastor gregi, princeps populo, rector familiæ*. 2º. Pontificem, quantumvis peccare possit, non posse tamen iudicandum deferri ad Ecclesiam, et sic hunc textum non pertinere ad Pontificem, ostendunt arg. pro 2º p. 1º theseos allata: ideoque Pontifice peccante, oportet ac restat *recurrere ad Deum, qui eum ipse emendet, vel de medio subtrahat*; ut D. Th. in 4. Dist. 19. L. 2. A. 2. Q. 3. ad secundum scribit. 3º. Si *Ecclesiæ* nomine hic veniat Concilium cum capite; textus ad quæstionis propositum non spectat: si Concilium sine capite; textus Concilio non convenit, cum ejusmodi Concilium non representet universam Ecclesiam; utroque tandem sensu absurdum postulatur, convocatio scilicet